

Cum hoc nomine a diversis mycologis discrepantes formas receperim, haec nostra specimina analytice examinare liqueat, ut de recta eorum sede judicium ferant magistri. — Singula individua, etsi confluentia, primitus semper ex applanata basi globosa in stratu suberoso corticis oriuntur, unde epidermidem perforant. Prima aetate cortice miniato obteguntur, innato persistenti, qui serius fuscescens, imo albidus fit rimosusque; nisi in fungo valde adulto totus fere nigrascit. Stroma quidem nigrum, nitens, radiatim fibrosum molliusculum; sed pyrenia minuta oblonga compressa peripherica, collo nullo instructa, crassa, nigra nigraque pulpa farcta, reapse nidulanter in stratu cinereo a extero stromate acute distincto. Scobes externa esti jam dealbata intus constat vesiculis fere sanguineis; quod jam lente simplici in crusta caesa dignoscitur, optime confirmatur exploratione ope microscopii compositi. Nucleus constat ascis numerosissimis perfecte linearibus, basi in pedicellum producta, angustis, $\frac{62-65}{500}$ mill. longis, sporidia octo uniserialia, subovalia, fusca, homogenea, nucleolo obscuriori, $\frac{5}{500}$ mill. circa longa continentibus.

Cesati.

**Sphaeria insitiva To de-DN. microm. ital. Dec. VII.
H. l. c. Jcon.**

Diplodia viticola Desm.

Sphaeria (*Cytispora?*) *Vitis* Schwein?

Ad ramos exsiccatos *Vitis viniferae* per totam Italiam superiorem.

Num singula tantummodo species, nunc omnes enumeratae sociatim in eodem ramulo v. virgulto occurrunt, ipsa Pestalozzia pezizoidē adjecta, quae autem magis rara, et in speciminiibus, quae adferimus omnino deest. — Vix nisi microscopio composito species, imo dicam genera diversa extricanda, quae ad illustranda, uti pro nunc per me fieri possit, observationes meas reddam. — De genuina *Sphaeria insitiva* nullum dubium extat post optimam adumbrationem apud Notarismum, praeclarum pyrenomycetum indagatorem, qui etiam de discrimine inter hanc *Sphaeriam* et *Diplodiam viticola* (Desm.) dixit (l. c.); complementi causa addam, haud raro hujusne pyrenia in veras pustulas confluere; semper forma et dimensiones sporidiorum utrinusque discrimina statuant cum defectu ascorum et paraphysum. Sporidia Sph. *intivae* didymo-bilocularia, ovalia $\frac{6-8}{500}$ mill. longa; *Diplodiae* illa linear-oblunga, $\frac{12}{500}$ mill. longa; in utraque quodvis loculum sporidiolo farctum. — Num *Sphaeriacae* *Vitis* no-

mine recte nuncupaverim tertiam speciem ignoro; sed mirum phenomenon judicavi illud, quod pustulae externis characteribus identicac, aliae exhibeant pyrenia uno ductu simul gaudentia, nucleo tantum sporidigero; — aliae ostiola plura gerant, nunc papillaeformia nunc in rostellum elongata, nucleo ascigerol sporidiis autem et forma et fabrica et dimensionibus ad amussim illis priorum similibus! — Longit. sporid. circiter $\frac{3}{500}$ mill.; ascorum $\frac{16-18}{500}$ mill. — quoad praesentiam unici vel plurium ostiolorum, Sphaeria haec dubia congrueret cum Sph. iusitiva, quae eadem ratione ludit (cf. DN. l. c.); — quoad naturam alias ascigeram alias basidiosporam nuclei, ex recentissimis litt. cl. Notarisii referam, Spilobolum Tiliae ei pyrenia duplicis dictae indolis obviam venisse; quaeritque num pyrenia stylospora pro spermogoniis habenda sint, juxta Tulasnei praeclari sententiam de modis reproductionis apud Mycetes Lichenesque.

Cesati.

Peziza (Helotium) Cesatii Montagne mss. et in litt. ad Cesat.

P. hypophylla, sparsa, minuta, fuscescens, inuato-fibrosa, obconica, slipitellata, disco pallido truncato (num et in fungo maturo?).

Ad paginam infer. foliorum Quercus humi jacentium Brixiae langob. anno 1845 legi et nunc cum celeberr. Montagne communicavi, qui benevoli mihi dicare voluit speciem valde singularem. Doleo quod adultiora specimina non adsint, dum in omnibus a praed. viro et a me metipso dissectis fructificationis organa nondum rite evoluta sint. — „Je l'ai analysée deux jours de suite sans pouvoir trouver des spores dans plusieurs individus consacrés à cette étude. Je n'y ai vu que de longues thèques cylindriques accompagnées de paraphyses épaissees en pilon au sommet. ces paraphyses m'ont semblés, à part la couleur, analogues aux fibres qui forment la cupule. Celle-ci a la forme d'une Nidulaire en miniature (eximie dictum!), mais elle est très courtement pedicellée.“ Sic celeberrimus vir in literis. — Substantia sat firma, hinc immutata in sicco. — Cupulae ab 1—2 mill. altae.

Novemb. 1854.

Cesati.

Redaction:

L. Habenhorst in Dresden,

Druck von

C. Heinrich in Dresden.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hedwigia](#)

Jahr/Year: 1855

Band/Volume: [1_1855](#)

Autor(en)/Author(s): Cesati

Artikel/Article: [Sphaeria insitiva Tode-DN. microm. ital. Dee. VII, H. 1. c. Jcon. Peziza \(Helotium\) Cesatii Montagne mss. et in litt. ad Cesat. 71-72](#)